



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XCVIII. De Societate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

dandi Decimas? *Resp.* Lateranense Concilium, in quo Feuda fieri de Decimis prohibitum fuit, non illud Generale fuisse, quod sub Innocentio III. celebratum fuit anno 1215. à quo tot, & tanti Canones leguntur desumpti per Gregorium Nonum; sed fuisse Concilium in Laterano celebratum ab Alexandro Tertio de Anno 1179. quod non dicitur generale, sed vocatum ad hoc, ut prohiberentur Feuda Decimarum, ut ex DD. probat Moneta de Decimis, cap. 5. quest. 3. num. 67. & 68.

19. *Quer.* An dictum Concilium Lateranense dampnaverit etiam concessionem Decimarum ante factas? *Resp.* Negativè. Et licet contrarium videatur innuere dictum cap. Prohibemus 19. de Decimis; tamen illud est intelligendum vel de Decimis obtentis sine legitimo infeudationis jure; vel de Laicis non exhibentibus Ecclesiæ debita obsequia, & servitia, quæ ratione Feudi exhibere tenentur, ut ex DD. probat Moneta de Decimis dict. cap. 5. quest. 3. numer. 66. & 67.

20. *Quer.* An Papa possit dare in Feudum aliqua bona, aut jurisdictionem Ecclesiæ Romanæ? *Resp.* Negativè. Istante Bulla prohibitoria S. Pii V. 35. Incip. *Admonet nos*, Cujus Bullæ observantiam jurant omnes Cardinales in assumptione Pilei, sub pœna perjurii, & perpetuæ infamiæ; quam Bullam confirmavit Urbanus VIII. per Constitutionem suam Incip. *Sacrosancti*, Anno 1623. ut notat Thesaur. de Pœnis Eccles. part. 2. in Verb. *Alienatio* cap. 3. in fine. Illustris. Baptaglin. in *Annal. Sacerdotii & Imperii* Anno 1623. num. 11.

21. *Quer.* An Judices Laici possint judicare causas Feudorum Episcoporum concessorum ante Concilium Lateranense? *Resp.* Secundum modernos DD. affirmative; quia docent, Decimas habitas in Feudo ab Episcopis ante Concilium Lateranense effectas esse bona allodialia, & in commercio Laicorum; addò, ut ab eis possint vendi, dari in dotem, & alienari, tanquam res profanas. Nicolaus Noalis *conf.* 60. num. 9. per totum.

22. *Quer.* Quando probentur Feuda Decimarum facta ante Concilium Lateranense? *Resp.* Quando possessa sunt à Laicis per tempus immemorabile, & de cujus initio non constet, tunc enim præsumuntur facta ante Concilium Lateranense. Nicol. Noalis *conf.* 81. num. 1. & 2. ubi DD. Quod procedit, quamvis exhibeantur plures investiturae, quando de prima investitura non constat. Rota part. 15. recent. decis. 375. num. 7.

CAPUT XCVIII.

De Societate.

1. *Quer.* Quid sit Societas? *Resp.* Est duorum, pluriumve conventio, honestè contracta, ad uberiores quæstum, & commodiorem usum. Nicol. lib. 3. tit. 26. in princ.

2. *Quer.* An sit aliquis prohibitus, inire

Societatem, vel contrahere cum aliquo? Esse prohibitos, 1. Medicos cum Aromatariis. Greg. XIII. *Const.* 29. Incip. *Officii nostri*. 2. Eosdem Medicos cum Infirmis, durante Infirmate. l. 3. ff. *De Var. & Extraord. cognit.* 3. Advocatus cum cliente; durante lite. l. *Quisquis* 6. C. *de Postul.* & 4. Carceratos cum Judicibus, seu è contra. l. *Qui carcerem*, 22. ubi Gloss. ff. *Quod metus causa*.

3. *Quer.* Quot modis fieri possit Societas? *Resp.* Duobus modis, Aut generaliter de omnibus bonis Sociorum. Aut specialiter de aliqua re, negotio, vel individua specie Mercaturæ. Nicol. ubi supra d. lib. 3. tit. 26. num. 2.

4. *Quer.* Quomodo dividantur lucra, & damna inter Socios? *Resp.* Servandas esse sequentes Regulas. Prima est, si factum sit pactum, quòd unus habeat duas partes lucri; intelligitur, quòd habere debeat etiam duas partes damni. Secunda est, Si quis possit duas partes capitalis, & alter unam partem; primus habebit duas partes lucri, alter unam tantum partem. Tertia est, si unus ponat industriam, & alter sortem, tunc lucrum erit æquale. Quæ procedunt, ubi expresse conventum non sit inter Socios de lucro, & damno. Nicol. ubi supra num. 3.

5. *Quer.* An conventio valeat, ut unus habeat partem lucri sine damno? *Resp.* Affirmative, si plus contribuat in sorte, vel in industria. Porro, quòd unus habeat totum lucrum, alter verò totum damnum, conveniri non potest, quia esset Societas Leonina. §. *De illa*, *Inst. eod. tit.*

6. *Quer.* Quot modis finiatur Societas? *Resp.* Finiri per renunciationem, per mortem, & finitò negotio, seu tempore, in quo fuit conventum, ut duraret Societas. Nicol. ubi supra num. 4.

7. *Quer.* An Socius teneatur de levissima culpa? *Resp.* Negativè, sed tantum de dolo lata, & levi. §. *Fin. Inst. de Societate*.

8. *Quer.* An Socius possit pacisci cum Socio, ut sibi det certam summam lucri liberam ab omni damno, & ab omni periculo? *Resp.* Affirmative, si in eo contractu alium contractum, qui *Assurationis* vocatur, incant; & illa summa sit multò inferior, quàm si vellet stare etiam periculo. cap. *Per vestras*, 7. de *Donas. inter virum, & uxorem*. Navar. in *Man. cap.* 17. num. 255.

9. *Quer.* Quot modis possint Animalia dari ad Societatem? *Resp.* Tribus modis. Primò, cum unus dat Animalia ad laborandum, & alius ponit industriam. Secundo, cum dantur Animalia ad custodiam, & alter ea servat, & foetus venduntur. Tertiò, cum sub statuta mercede Animalia ad opus traduntur. In quibus casibus Animalia debent semper stare periculo conferentis. Nicol. ubi supra d. lib. 3. tit. 25. num. 7.

10. *Quer.* Quomodo fieri possit Societas officiorum? *Resp.* Romæ esse communissimam hanc Societatem inter Cursores, Notarios, & similes; & fieri præcipue duobus modis. Uno, quando duæ personæ de com-

muni

muni pecunia emunt illud officium; nam fructus, & emolumenta illius officii aequis portionibus dividuntur. Altero modo, quando unus dat pecuniam in emendo officio, alter ponit industriam in eo exercendo. Nicol. ubi supra num. 10. & 11.

11. *Quer.* An in fine Societatis, si extent credita exigenda, possint assignari uni ex Sociis pro minori summa, quam sint in effectu ratione laboris, & difficultatis in exigendo? *Resp.* Affirmative, dummodo habeatur respectus ad id, quod interest in exactione facienda, cessent fraudes, & alii Socii consentiant. Petr. de Ubald. de duobus Fratrib. part. 11. num. 103. Leotard. de Usuris qu. 31. n. 33. & de hac societate officiorum videantur discursus XII. Eminent. Cardin. de Luca in suo Theatro Veritatis.

CAPUT XCIX.

De Mandato; & de Procuratoribus.

1. *Quer.* Quid sit Mandatum? *Resp.* Est contractus, quo quis aliquod officium gratuito expediendum suscipit; & hoc vel expresse, vel tacite, ut si quis praesens patitur negotia sua ab alio fieri, tenetur ei actione mandati. l. si numerandi, 6. §. si passus, ff. Mandati.

2. *Quer.* Quibus modis fieri possit iste contractus? *Resp.* Sex modis. Primò, mea tantum gratia. Secundò, tua tantum gratia. Tertiò, aliena tantum gratia. Quartò, mea, & aliena gratia. Quintò, tua, & mea gratia. Sextò, tua, mea, & aliena gratia. Sed secundus modus strictè loquendo non est mandatum, sed consilium; idèò, ex eo non oritur actio Mandati. cap. Nullus ex consilio, de Reg. Jur. in 6. Nisi dedisset consilium delinquendi, vel committendi aliquam fraudem. Nicol. Instit. Civil. lib. 3. tit. 27. num. 1.

3. *Quer.* An si ego commendavi tibi Titium per litteras meas, ut in his, qui ei poteris favere, id facias; & tu mutuaveris ei centum à me repetere actione mandati? *Resp.* Negative. l. si verò 12. §. Cum quidam, ff. Mandati. Tribus tamen casibus exceptis. Primò, si in litteris dictum sit, ut Titio credas, meo periculo. l. Lucius 25. ff. de Fidejussor. Secundò, si Titius esset filius, famulus, aut institutor scribentis. Bart. in d. l. Lucius, & Tertiò, si litteræ expresse dicerent de illo etiam juvando per mutuum. Bart. ibid.

4. *Quer.* An valeat Mandatum de re turpi? *Resp.* Negative, licet cum juramento susceptum; & si exequatur, actio competit laeso tam contra Mandantem, quam contra Mandatarium. d. l. 6. §. si passus, ff. Mandati.

5. *Quer.* Si Mandans rogaverit sibi emi talem equum centum scutis, & Mandatarius ex sua industria illum emat nonaginta; an possit consequi centum à Mandante? *Resp.* Negative, quia Mandatum debet esse gratuitum. l. Idemque, 10. §. si mandavero, ff. Mand. cap. Locupletari, de reg. jur. in 6.

6. *Quer.* Si ego mandavero, rem meam vendi viginti scutis, & Mandatarius eam vendi

dat viginti quinque, an possit illa quinque sibi retinere? *Resp.* Negative. l. Ex Mandato 20. ff. Mandati. Excipitur, nisi prius Mandatarius emisset illam rem pro se pretio praescripto; & postea alteri vendidisset pluri. Vel nisi Mandans cederet illud plus Mandatario pro labore. Nicol. ubi supra num. 5. Et nos supra cap. 90. num. 25.

7. *Quer.* An Sartores, qui pro aliis emunt pannum à mercatoribus sibi benevolis minori pretio, quam aliis vendant, possint sibi retinere illud plus, quod ipse, pro quo emunt, expendisset? *Resp.* Affirmative, quia non fit ei injuria. Bonacina tom. 2. de Restit. disp. 1. qu. 2. punct. 7. num. 13. & seqq.

8. *Quer.* An Mandatarius possit substituere in eodem negotio aliam personam? *Resp.* Cum distinctione: aut loquimur de Mandatario, seu Procuratore ad Judicia, & hic ante contestationem litis substituere non potest, postea verò sic, quia factus est dominus litis. cap. 1. de Procur. in 6. Vel de Mandatario ad negotia, & hic semper potest substituere, nisi appareat, fuisse electam industriam suam personam. cap. Is qui, 3. de Procurator. in 6.

9. *Quer.* Quznam sit differentia inter Procuratorem ad litem, & Advocatum? *Resp.* Quòd Advocatus exponit ea, quæ juris sunt: Procurator verò, quæ consistunt in facto, unde non oportet, ut Procurator sit Doctor. Nicol. Instit. Can. lib. 1. tit. 38. num. 1. & 2.

10. *Quer.* An filius familias possit esse Procurator in Judicio sine consensu Patris? *Resp.* Affirmative. cap. Qui generaliter, §. 1. & cap. penult. de Procur. in 6.

11. *Quer.* An Cancellarius, vel Magister actorum possit in eodem Tribunali facere officium Procuratoris? *Resp.* Negative. l. Domesticus, 4. C. de Assessor. Sac. Cong. apud Nicol. ubi supra num. 4.

12. *Quer.* An Laicus possit esse Procurator in causis spiritualibus? *Resp.* Affirmative. cap. 1. de Procurat. in 6.

13. *Quer.* An Clerici possint exercere Procuratoris officium coram Judice seculari? *Resp.* Negative, si in sacris sint, vel beneficiati; nisi agant pro Ecclesia sua, aut conjunctis, vel miserabilibus personis. cap. 1. & fin. de Postulando. Domi tamen consulere possunt tam verbo, quam scriptura. Sacra Congreg. quam allegat Nicol. Instit. Canon. lib. 1. tit. 37. num. 2. ubi, quòd Clericis in minoribus non beneficiatis respondit, non esse prohibendum, quin coram Judice Laico officium Procuratoris, seu Advocati exerceant. Quæ responsio non est contraria cap. 1. de Postul. quia ibi dicitur, nisi stipendiis Ecclesiasticis sustententur.

14. *Quer.* An conjunctus sanguine, seu frater Vicarii possit esse Cancellarius, vel Notarius in eodem Episcopatu? *Resp.* Negative. Sacra Congreg. in una Spoletana 23. Augusti 1652. Nicol. dict. tit. 37. in fin. in Elucubrat. Canonici.

15. *Quer.* In qua ætate possit quis esse Procurator? *Resp.* Quo ad negotia annorum 17. Quo ad judicia annorum 25. completo.